



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt XXXII. Lindaviense Collegivm Canonissarum in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

CAPVT XXXI.

S. MARIAE COLLEGIVM CATHE-
drale Monasteriense in VVestphalia.

Templum hoc Carolus Magnus Cæsar à
fundamentis, in Virginis Mariæ gloriã,
ad insignem raramque amplitudinem euexit;
quod deinde miraculis adeò resplenduit, vt
ad illud plurimi confluentes, vrbem celeberrimam
in loco *Mimingrode* vocato, condiderint, ac
Monasterium, à monasterio, illam deinceps
appellarint. *Buffemecherius* hanc rem ita
assequitur: *Monasterium tertia erat Episcopalis
Ecclesia, quam erexit Carolus Magnus in meditullio
regionis Mimingrode dicto, loco qui postea ab
insigni ibi fundato monasterio, monasterium fuit
denominatum, ordinavitq; ibi Episcopum Ludgerum
natione Frisium, fratrem Hildegrini Episcopi Halberstadiensis.
Huius successor Hermannus dedicauit & consecrauit
monasterium & Ecclesiã trans aquas in titulum &
honorem Virginis Mariæ, quod breui monasterium
ita excreuit, adeoque factum est celebre, vt nomen
dederit ciuitati & Episcopo. Hactenus ille. Canisius
id Sanctimonialibus, quæ incoherenter datum addit.*

CAPVT XXXII.

LINDAVIENSE COLLEGIVM
Canonissarum in Germania.

Lindaviense Canonissarum nobili stemmate

mate natarum, ab omni voto immunium, nec
villo cœlibatus iuramento astrictarum, am-
plissimum collegium in lacu Acronio, & e-
iusdem nominis insulari opido situm, cœpit
anno Christi circiter 810. ex piâ liberalitate
ac munificētia *Adalberti* Comitis de Rorbach.
Qui patre *Leotobico* natus, *Caroli Magni*
consanguineus, sacriq̄ue palatij Magister, &
prouinciarum Rheticarum Præfectus, cum a-
liquando procellosis Acronij lacus fluctibus
pēnè obrutus de vita desperasset, & precabun-
dus vouisset, eo sese loco in *Deiparæ* virginis
Mariæ honorem, gratitudinis ergò, constru-
cturum templum & cœnobium, vbi saluus &
incolumis littori appulisset, casu in hanc in-
sulam ventorum vi delatus, eam purgari,
& à fratre *Mangoldo* Comite à Rorbach
adiutus, cœnobium ibi construi iussit, cui
nomen ab euentu & felici appulsu suo indi-
dit, vt *Lendoa*, vel *Lendaugia* (quæ vox
hodie adhuc accolis in ore frequentior fe-
rè est quàm *Lindaugia*) nuncuparetur. I-
dem verò *Adalbertus* *Xenodochij* quo-
que *Lindauensis* opulentissimi fundator
fuisse dicitur ; qui tandem anno Domini o-
ctingentesimo quadragesimo primo, die
decimo Maij è medio sublatus commemora-
tur à copijs *Ludouici Regis Germaniæ &*
Bauariæ, non procul à *Lacu Brigantino*,
cum ab *Cæsare Lothario* præsidij loco

Rhetia positus esset, vt prohiberet ne Caroli Calui exercitus è Burgudionibus adueniens cum Ludouici fratris agmine iungeretur. Postea anno Domini 866. ab Imperatore Ludouico II. Cæsaris Lotharij filio, datis priuilegijs, atque asylo insuper in fontium refugium concesso, confirmata est Adalberti Comitis fundatio, additâ dignitate ac prærogatiua singulari, vt Abbatissa eius loci cum alijs Sacri Romani Imperij Ecclesiasticis prælatis princeps esset, Sacri Romani Imperij cui in publicis pompis liber deberet præferri, quemadmodum Buchaugiensi etiam Abbatissæ in celebrioribus pompis liber & nudus gladius antiquitus anteferri est solitus. Sic ferè Bruschijs in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

CAPVT XXXIII.

COLLEGIA CANONICORVM DIOECESIS Constantiensis in Germania.

- C**ollegium S. Stephani cathedrale in vrbe Constantiensi.
 Collegium SS. Ioannis Baptistæ & Euangelistæ in eadem vrbe Constantia.
 Collegium in cella Ratholdi.
 Collegium in Markdorff.
 Collegium in Hechingen.
 Collegium in Herrenberg.

Collegi-